



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE OMNIA POSSUM*VENERABILI DEI SERVO METHODIO
DOMINICO TRČKA

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. — « Omnia possum in eo, qui me confortat »
(*Philp 4, 13*). Coniunctione cum Christo, suo magistro, roboratus Venerabilis Dei Servus Methodius Dominicus Trčka Dei
Verbo nuntiando desertissimis populis suam vitam devovit atque, ut hi confiteri et in catholica Ecclesia suam fidem tenere
possent, suam tradere vitam non dubitavit. Methodius Dominicus Trčka die VI mensis Iulii anno MDCCCLXXXVI in oppido
Frýdlant nad Ostravicí Reipublicae Cechae novissimus ex septem liberis ortus est. Subsequenti die sacro baptisate
ablatus est. Gymnasio ex pleto, Congregationem Sanctissimi Redemptoris, est ingressus atque die XXV mensis Augusti
anno MCMIV vota religiosa nuncupavit ipseque die XXV mensis Iulii anno MCMX sacerdotali ordine auctus est. Primos
sui sacerdotii annos in oppidis *Svatá Hora et Pilsen* exegit, missiones explicans populares. Primo saeviente mundano
bello multum pastoralis operae in Croatarum. Slovenorum et Ruthenorum beneficium contulit, eos cunctis in
necessitatibus iuvando. Seminarii iam tiro inter christianos ritus orientalis opus facere studuit quod anno MCMXIX
efficere potuit, cum Leopolim missus esset, inter fideles catholicos ritus Byzantini apostolatum explicaturus. Sanctissimi
Redemptoris in communitate, sodale potissimum Nicolao Čarnekyj iuvante, sermonem consuetudinesque locorum
didicit. Hoc tempore sibi quoque Methodium imposuit nomen. Mense Decembri anno MCMXXI *Stropkov* rissus est
Slovakiae Orientalis, ut sociatam praestaret operam ad primam Sanctissimi Redemptoris communitatem ritus Latini
Byzantinique condendam. Communitatis factus superior, studiosum missionale opus tribus in eparchiis Prešoviansi,
Užhorodensi et Crisiensi gessit. Anno MCMXXXI Sanctissimi Redemptoris sodales ritus Byzantini in novam domum
Michalovcensem se contulerunt, ubi pater Methodius usque ad mensem Iulium anni MCMXXXII superior fuit, donec ob
opus lassus *Stropkov* remigravit, sanitatem recuperaturus. Michalovcensi urbe repetita, anno MCMXXXV, a
Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus visitator apostolicus nominatus est sororum Basiliarum Prešoviansium et
Užhorodensium. Iterum superior electus, Sanctissimi Redemptoris moderante communitate, in oppido *Zemplín* spiritalis
vitae fuit cardo. Templum perfecit sororumque claustrum aedificandum curavit. Complura alia patravit in pauperum
derelictorumque beneficium. Altero saeviente bello mundano, quasdam ob difficultates adversum Slovakiae Statum,
pater Methodius a superioris munere sese abdicavit. Bello absoluto ac necessitudinibus cum civilibus potestatibus in
melius mutatis, die XXIII mensis Martii anno MCMXLVI, Sanctissimi Redemptoris sodales vice-provinciam ritus Byzantini
Michalovcensem condiderunt iique alterum a provinciali patrem Methodium elegerunt. Hi ergo religiosi *Stropkov* redierunt,
ubi Sanctorum Cyrilli et Methodii aedificaverunt templum atque complura apostolatus incepta susceperunt. Anno
MCMXLIX, postquam communistarum regimen rerum potitum est, vice-provincia est ablata atque nocte diei XIII mensis
Aprilis anno MCML omnes religiosi in campum captivis custodiendis sunt delati. Pater Methodius in oppido *Pedolínec*
translatus est indeque *Leopoldov* compluries quaestionis causa delatus. Die XII mensis Aprilis anno MCMLII in duodecim
carceris annos damnatus, vinculis detentus est in urbibus *Ilava, Mirov et Leopoldov*. Licet ob aetatem vexationesque

aegrotaret, usque ipse fortis et Christo, Ecclesiae suaeque religiosae consecrationi fidelis mansit. In carcere die XXIII mensis Martii anno MCMLIX, carnificibus ignoscens, vita cessit. Latam perpetuamque martyrii ob famam beatificationis canonizationisque Causa inchoata est, Processu Informativo primis anni mensibus celebrato. His perfectis a iure statutis rebus, Nobis coram Decretum super martyrio die XXIV mensis Aprilis anno MMI prodiit. Statuimus igitur ut beatificationis ritus in Petriano foro die IV mensis Novembris anno MMI celebraretur. Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Hirka, Episcopi Prešovienis, Petri Iacobi Nonis, Episcopi Vicentini, Georgii Ferreira da Costa Ortiga, Archiepiscopi Bracarensis, Ioannis Aloisii Cardinalis Cipriani Thorne, Archiepiscopi Limani, Michaëlis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, et Ioannis Mariae Uriarte Goiricelaya, Episcopi Sancti Sebastiani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Paulus Petrus Gojdič, Methodius Dominicus Trčka, Ioannes Antonius Farina, Bartholomaeus Fernandes dos Mártires, Aloisius Tezza, Paulus Manna, Caietana Sterni et Maria Pilar Izquierdo Albero Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Pauli Petri Gojdič die decima septima Iulii, Methodii Dominici Trčka die vicesima quinta Augusti, Ioannis Antonii Farina die decima quarta Ianuarii, Bartholomaei Fernandes dos Mártires die decima octava Iulii, Aloisii Tezza die vicesima sexta Septembris, Pauli Manna die decima sexta Ianuarii, Caietanae Sterni die vicesima sexta Novembris et Mariae Pilar Izquierdo Albero die vicesima septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Prudentiam, pietatem, patientiam, insignis huius viri extollere placet, qui sua opera luculenter in religiosae suae familiae sodales ceterosque homines contulit, quique tandem fidei strenuus fuit testis, Christo Ecclesiaeque clarum fidelitatis praebens exemplum. Exoptamus igitur ut huius caelitis testificationibus incitati homines qui nunc sunt ad superna mansuraque certo gradu contendant. Sueta demum oratione habita de vita, virtutibus ac operibus Beatorum, quos modo publice diximus, eos venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus. Quae autem decrevimus, volumus nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non officientibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Novembris, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo quarto. De mandato Summi Pontificis ANGELUS card.*

SODANO

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 3, pp. 168-171 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana